

feriori Mundo Planetæ causent mutationes ac perturbationes aëris, dum prædictis aspectibus in se mutuò ac in inferiora radiant.

Quarta Classis sex continet Tabellas, utrâque facie numeris bipartitis insignitas; quibus ostenditur, quinam anni & mensium dies quibus Signorum Zodiaci gradibus, quos Sol annuo cursu percurrit, respondeant. Tabulas exhibet **QUARTA CLASSIS**, quæ sequitur.

In eodem Loculamento septimo, præter Tabellas hæctenus enarratas, recondita est alia latior, exhibens Sphæræ coelestis per Circulos divisæ, & Sphæræ terrestris per Zonas imagines. Utramque post Libellum Auctoris, quem jam subjicio, dabimus, tamen si potiùs ad præcedentis, quàm hujus Loculamenti Tabellas pertineant.

C A P U T II.

Libellus septimus, quo Auctor Organi explicat septimum ejus Loculamentum.

Loculamentum septimi explicatio.

Septimum Loculamentum Organi, signatum litterâ G, destinatum est, ut dixi, ab Auctore Tabellis partim ad Astronomiam, partim ad Astrologiam spectantibus. Tabellas proposuimus in quatuor Schematismis, juxta quatuor earum Classes divisas: jam usum illarum explicat Auctor breviter sequenti Libello, & nos fusiùs explanabimus in uberiori Instructione, quæ sequetur. Dividimus more solito Libellum, distinctionis & claritatis gratiâ, in varios paragraphos; ac subinde verbulum, alio tamen characterum genere expressum, eâdem de causâ adjicimus. **LO-**